

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Gebri Arabis Chimia**

**Geber**

**Lugduni Batavorum, 1668**

De Venere sive Aere. Cap. XXXVI

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-95581)

extensibile. Est ergo Jupiter inter diminita à perfectione corpora magis perfectus in radice suæ naturæ : affinis Soli & Lunæ: Lunæ tamen magis : Soli vero minus. Hæc autem in sequentibus lucide demonstrabimus. Jupiter vero, quia albedinem multam ex radice suæ generationis suscipit : ideo omnia non alba corpora dealbat. Vitium est tamen ei, quia omne corpus frangit, præter Saturnum & purissimum Solem. Et Jupiter multum Soli & Lunæ adhæret : & ideo ab eis in examine non facile recedit. Suscipit tincturam rubedinis, & splendet in eo fulgore inæstimabili : & pondus acquirit in magisterio nostro perfectum. Induratur vero & inundatur facilius quam Saturnus, ut infra dicemus. Qui vero sciverit ejus vitium fractionis auferre, subito ex ipsius proficuo lætabitur. Jungitur enim Soli & Lunæ, nec separabitur ab eis unquam.

*De Venere sive Aëre.*

CAP. XXXVI.

**V**enus sive *Æs* est corpus metallicum lividum, rubedine fusca multum participans, ignibile, fusibile, sub malleo extendibile, multum fonans, cineritium & cementum refugiens. Venus itaque in profundo suæ substantiæ colorem & essentiam

tiam auri prætendit. Malleatur vero & igitur ut argentum & aurum. Quare secretum ex ea assumas : Est enim medium Solis & Lunæ, & facile ad utrumque convertere naturam illius accidit : & est bonæ conversionis & pauci laboris. Convenit cum Tutia vehementer, quæ illam citrinat citrinitate bona, ( & hoc per magisterium, sine quo non perficitur ) ut ex hoc proficuum elicias. Excusamur itaque per eam à laboribus indurationis & ignitionis illius. Assumas igitur eam, præ cæteris imperfectis in opere minori & medio : in majori vero minime. Hoc tamen præ Jove vitium habet, quoniam livescit de facili, ex infectione vaporum & humoribus acutis, & eradicare illud non est facile artificium, imo profundum.

*De Marte sive Ferro.*

C A P. XXXVII.

**M**ars sive ferrum est corpus metallicum multum lividum, parum vero rubeum, albedine impura participans, durum, ignibile, non fusibile fusione recta, malleabile & multum sonans. Est autem Mars durissimæ tractationis, & hoc propter suæ fusionis impotentiam. Quod si sine medicina, ejus naturam immutante fundatur, conjungetur Soli vel Lunæ, & ab eis non faciliter separatu per aliquod